

## CAPUT XVIII.

## DE MATHIA.

**M**athias de Bergamo Casinensis Monachus, vir in divinis literis versatus, & memoria aded pollebat, ut plures novi, & veteris Testamenti libros memoriter recitaret. Obiit temporibus nostris, & sepultus est in Casino, in Cœmeterio S. Annæ.

*Claruit anno MDLXXVII.*

## CAPUT XIX.

## DE BENEDICTO.

**B**enedictus de Sancto Germano, in Casino sub Hieronymo de Placentia Abbate Monachus factus est. Vir egregius, & ingenio magnus: in Latinis, Græcis & Hebraicis literis valde eruditus; in Philosophia autem & Theologia doctissimus, aded ut suis temporibus in nostra Congregatione nemini fuerit secundus. Scripsit Commentaria in Psalterium Hebraicum, in epistolam Pauli ad Romanos. Tractatum de usuris: edidit quoque expositiones super Psalmos. Scripsit præterea super libros Perihermenas, Priorum & Posteriorum Aristotelis, super libros de anima ejusdem: Est quoque in lucem editus, & impressioni traditus ipsius tractatus de imitatione Ciceronis. Extant disputationes in libros Prædicamentorum Aristotelis, & pulcherrimum illud opus, quod inscribitur Proverbia animalium. Scripsit etiam Apologiam contra calumniantes ejus opera. Claruit nostris temporibus, & adhuc vivit.

*Anno Domini MDLXX.*

## CAPUT XX.

## DE BERNARDO.

**B**ernardus de Janua, Monachus Casinensis factus est sub Hieronymo de Placentia hujus Monasterii Abbate: Vir disertus & eruditus in Philosophia, & divinis Scripturis. Fuit temporibus Maximiliani Imperatoris, & sepultus in Casino.

*Claruit. anno Domini MDLXX.*

## CAPUT XXI.

## DE ANTONIO.

**A**ntonius Frachenis Monachus in Casino, sub Lauro de Mantua

*Tom. VI.*

**A** hujus Cœnobii Abbate susceptus est. Vir acri, & magno ingenio, in Græcis & humanis literis versatissimus, in jure etiam Pontificio valde instructus. Scripsit quoddam Repertorium Polyanthea dictum, alphabeti ordine distinctum pro Archivio Casinensi: in quo quidem opusculo & jurisdictiones, & dignitates, & quæcunque bona fuerint vel sint Monasterii Casinensis, facile est invenire. Edidit quoque librum quandam confinium bonorum Casinensis Cœnobii, sed morte præventus, imperfectum reliquit: qui postea à me Placido Romano Monacho Casinensi repurgatus, & perfectus fuit. Floruit temporibus Maximiliani Imperatoris, & sepultus est in Monasterio Sancti Liberatoris de Majella.

*Floruit Anno Domini MDLXXV.*

## CAPUT XXII.

## DE LUCA.

**L**ucas Antonius de Firmo, in Casino sub Hieronymo de Placentia Abbate Monachus factus est, vir in Philosophia, & Medicina doctissimus. Floruit temporibus supradicti Imperatoris. Obiit Cajetæ temporibus nostris, & sepultus est in Monasterio Sancti Angeli.

*Anno MDLXX.*

## CAPUT XXIII.

## DE PIO.

**P**ius Patria Neapolitanus, ex nobili, & antiqua Familia Lottheriorum Civitatis Florentiæ ducens originem, Monachus in Casino factus est, sub Innocentio de Novaria hujus Cœnobii Abbate. Vir religione, & bonitate perspicuus, in divinis Scripturis doctus, & notitia Juris Civilis, & Ecclesiasticorum dogmatum sufficienter instructus: Qui cum XXV. annis religiosè, & laudabiliter vixisset in nostra Congregatione Casinensi, existens Prior S. Severini in Civitate Neapolis à Papa Gregorio XIII. Episcopus Fundanus creatus est, de quo, quia adhuc vivit, meum judicium subtraham, ne in alterutram partem aut adulatio in me reprehendatur, aut veritas.

## ANNOTATIO.

**C**reatus Episcopus Ann. 1576. 30. Jan. Vir religione & bonitate perspicuus, acerrimus Ecclesiast. libertatis defensor. Decessit Casini 1592. ibique tumulatus quiescit.

F

CA.